


S. Matthæi Fidem Genealogicam In Media Tesseradecade, ad Matth. I, 6 - 11.

Rostochi[i]: Typis loh. Weplingii, [1701]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003437109>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1701

Grünenberg, Joh. Petr.

Q. D. F. E. J.

XVII
XI
C

S. MATTHÆI
FIDEM GENEALOGICAM
IN MEDIA TESSERA
DECADE,

357



ad Matth. I, 6 - II.

PROPOSITIO DEO O.M. ET MAX. REV. ORD. THEOLOGICO
AC
PRÆSIDE

JOH. PETRO Brünenberg/

SS. THEOL. D. AC P. P. CONSIL. DUC. CONSIST.
ET PER. DISTR. MEKELNB. SUPERINTENDENTE

IN AUDITORIO ROSTOCH. ACADEMIÆ MAXIMO
ANN. dō bccī DIE XI. MAJI, HORA VIII. AD XII. DEFENDET,
PROPTEREAQVE PLACIDE DISQUISITIONI
SUBJICIT

JOACH. PRÜSSING, WARENA-MECL.
SS. THEOL. STUD.



Rostochl,
Typis IOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

XVII

1701

XI
C

N^o. 34.



Universitäts-
Bibliothek
Rostock

I N. J. N. A!



Nter celeberrimas pariter, & difficillimas Qvæstiones, quæ in Matthæi Capite I. Theologis & Criticis seie offerunt, ea meritò referuntur dubia, quæ versum 3. & ii. spectant. Illæ enim occupantur partim circa genealogiam ipsam, partim circa computationem temporis, nec omitti temere possunt à sacrarum Literarum Defensore ac Vindice contra multiplices hodie earundem hostes. Priusquam igitur eas quæstiones, quæ inde proveniunt, consideramus, non puto incongruum esse, si illud expediatur, quod B. Luth. Comment. in Gen. c. 33. ait, ubi laudat studium computandi tempora S. hitorix, idque tum ab utilitate, tum à necessitate commendat, & cum Paulus Apostolus genealogiarum computationes prohibeat, temporum computationes ab eo inculcari negat. Addit deinde verò, geneologas propter ingentem suam seriem nimis incertas esse, & in tantis variarum nuptiarum, itemque variè mixtarum familiarum ac generum mutationibus ferme inexplicabiles, præsertim cum non raro, Lyrâ indice, contingat, eundem hominem variis nominibus insignitum, vel ex alterâ parte, eodem nomine varios homines insignitos fuisse. Atque hinc concludit, genealogiarum causam & valde intricatam esse, & prohibitam: quicquid eam audaculè scrutari velit, eum non nisi frustra laboraturum esse. Verba protulit Tom. IX. Altenb. Germ. pag. 1047. fac. 1. Probè autem hic observandum est, B. Lutherum hic nobis planè non adversari, qui scrutamur Domini Nostri Jesu Christi genealogiam, in quibus eam tantum avemus proficere, ut expediatur ea, quæ expediri possunt, difficultates; nec eum loqui de certis Lucæ ac Matthæi genealogiis, quam utramque Sp. S. adeò expeditam proposuit, ut ad ejus amulsum Vetus Testamentum dextre exponi, & occurrens in eo aliàs vix dissolubilis difficultas per Matthæum & Lucam tolli queat: sed agere illum de genealogiis quibusdam alibi, ac speciatim in i. Chronicorum libro occurrentibus, quas impeditas, nec curiose scrutandas esse ait, licet Chronicorum librum non cites. Neque enim quisquam

A

quisquam

quisquam dffitebitur, ibi quædam adeò esse hiulca, ut nulla ars humana refarcire istum defectum possit: quem quidem defectum sciens volensq; humanæ sapientiæ objecit Sp. S. ut sen iret illa, nihil genealogicæ rei ita expeditum esse præter solam genealogiam unius Christi, ut post Hierosolymarum excidium in ullâ tribu Israëlita ullus homo de ejus certitudine gloriari possit. Solus igitur JESUS est, qui uti omnes portas Israëlitaicæ & Politicæ & synagogæ, ita etiam genealogicæ claudit. Hæc una genealogia certa, hæc vera est, omniumque simpliciter ultima, quæ apud Lucam referitur, maximeque ei vicina, quæ ad Josephum nutritium Christi parentem spectans à Matthæo est recensita. Neq; ergò B. Lutherus repudiavit unquam, aut prohib tam dixit illam industriam, quæ his adeo claris genealogiis imponitur: sed censendus est tantummodo loqui de inexplicabilibus genealogiis, quarum fragmenta in S. literis occurrunt, & propterea, ut humanæ curiositati supervacua, & indecoro alius cujuscumque Messiaë desiderio obicem poneret, à S. Spiritu sunt abrupta, speciminis tamen ergo reservata, ut videremus, quanta quondam sedulitas fuerit præcorum Israëlitarum, familiarum propagationem avidissimè consignantium, ut testarentur de cognatione, quæ venturum in carnem Messiam proximius attingere quisque optabat. In his igitur sobriè philosophandum, ita tamen, ut si quis illa etiam hucusque intricata consentiente scriptura expedire queat, ob emanantem inde contra bibliomastyges utilitatem tantæ B. Lutherus moderationis sit, ut istud studii genus in eò, qui explanaverit, aliis in locis laudare non vereatur, cum inter prohibita nihil omnino referre velit, nisi quod duce scripturâ enodari haud possit, atq; ita sine ullâ ullius hominis utilitate non sine magno temporis dispendio temerè disquiratur. Sed nunc quidem istis prætermiſſis ad prognata quondam è citatis versibus problemata accingor, atque ita scrutari lubet:

*1. An omiſſa sint quædam genealogias membra
à Matthæo genealogiam Josephi exponente, nec ne?*

§. I.

Nullus omnino est vel Criticorum vel Theologorum; quos quidem novi, qui, quando in Matthæi cap. i. incidernnt, hanc materiam visuri, communi sententia non asserue-

seruerint, esse quædam membra a Sp. S. omiffa, qui tamen in tantâ consensione minus consentientes allegaverunt rationes. Exempla eos si poscas, ibi etiam dissentiunt. Pleriqve tamen omnes citant v. 8. omiffos Jorami filium, nepotem, pronepotem: quidam etiam Jojakimum v. 1. prætermiffum existimant; pauci tandem quædam habent, quæ circa Jechoniæ filium Phadajam moneri debeant. In quibus quamvis discrepent, in eò hi omnes tamen convèniunt, membra quædam desiderari.

§. 2. Quorum lubido est invehi in Sacros & præsertim Evangelii scriptores, partim ignorantiam, errorem, lapsum memoriæ, quasi Ochosiam & Oziam v. 8. Jojakimum & Jojachinum v. 11. Zorababelis partem Phadajam cum Salathiele v. 13. contuderit; partim malitiam & crimen falsi accusant, in quibus jam olim Porphyrius fuit, qui Christianis hoc Matthæi caput objicere solitus est teste Drusio, & Waltherus in Harm Bibl. ad h. l. Judæos, ait, juxta & alios profanos Matthæo hoc vitio vertisse. Verum hoc blasphemum, & in Sp. S. injurium est, & de vane objectis quidem suo loco dicitur.

§. 3. Christianorum quidam corruptelam & errorem librariorum notant, quorum culpâ factum sit, ut & v. 8. omiffa sint quædam, & v. 11. iterum unum omitteretur nomen, quod in autographo tamen Matthæi omiffum esse non videatur. Hi igitur certa potius exemplaria, quam ipsum Matthæum omissionis arguunt. Sed quamvis pro v. 11. duorum codicum fides allegetur, nihilominus illa nimis est tenuis, refragantibus innumeris codicibus aliis, simpliciter in illam, quam habemus, lectionem consentientibus: tum etiam ad v. 8. reclamatur ipse Matthæus, *yoias* v. 17. numerans. E nostris tamen contra librariorum etiam queruntur Chemnitii Harmonia, & Waltheri Centuria Miscell. Theol. Them. 77. & alii.

§. 4. Non pauci ad meram libertatem Matthæi, & Principis Autoris confugiunt, per quam quædam membra præterita fuerint, sicut id in aliis quoque genealogiis observetur in V. T. passim factum. *Liberum* (ait Glass. l. 3. Philol. S. Tr. 2. can. 1. n. 1 & post eum Prücknerus Vindic. Bibl. Part. IV. ad Matth. l. v. 17) *sibi Matthæus se, et, quorumdam nomina præterire, cum in tres classes generationes distribuere, & singulis quatuordecim capita attribuerit.* Fermè eadem ratione Chemnit. in Harm. & Gomarus pec. Diatrib. de Geneal. Christi *Matthæo non fuisse propositum voluit singulorum regum nomina referre, qui inter Davidem interesserint: & Christum, sed suo consilio certas constituere tessera decadas & mediam claudere cum sceptri fine.* Sed hæc omnia (uterque autem loqui debet de Regibus in generationis seriem referendis) æquius dicuntur, quam ista probari poterit mera voluntas, licet in libertate Sp. S. id fuisse non negemus, sed tunc eam libertatem per veritatem & voluntatem autumamus esse limitatam, quando omnia generationum capita à Spiritu S. connumerantur.

§. 5. Alii ad certam DEI vindictam referunt, quod DEUS expungi voluerit quædam nomina è serie familiæ Christi, *vel* quoniam Prophetas de Christo vaticinari non siverint, uti Tuitiensis Episcopus Rupertus autumavit: sed quomodo id probabitur quod S. literæ non referunt, renuente etiam hac ipsâ genealogiâ, quæ alios quosdam ex resse memorat, qui contra Prophetas DEI verbo & ferro se opposuerunt? *vel* quia insignes præ aliis alio quodam insigni scelere & speciatim idololatræ peccato illi fuerint, quod Lighthfoto non displicet, sed ne id quidem in ommissis omnibus sufficienter probabitur, siquidem alii pluribus, gravioribusque sceleribus infames recensentur: *vel* quia divinæ maledictioni, ob domum Amri & Ahab in reges Juda devolutæ,

tæ, speciatim quidam fuerint subiecti, propterea quod Joram ducta Athaliâ Achabi filiâ in Judaicum regnum flagitia introduxerit, unde tres ab ipso descendentes proximæ generationes fuerint deletæ, sicut minatus fuerit DEUS, se ulturum esse paternam impietatem in filiis odio se habentibus, usque in tertiam generationem: sed neque hoc aliquid veræ rationis habet, siquidem hâc respectu Joram potius ipse debuisset omitti: nec umquam minatus fuit Deus, se nomina posterorum ê genealogiis deleturum esse ob facinora patrum, licet filiis contentirent & omninò obstitit versus Matthæi decimus septimus: *vel* quia tres omisit typum gesserint omnium hostium S. Triados, & Trium Virtutum Christianarum, uti ludit Salmero: sed lusum lusum, non rationem dicimus, nec adeò remotas allegorias probare possumus.

§. 6. Alii ad infelicitatem omnissorum Regum intendunt oculos, quoniam, si Jojakim quibusdam omissus dicatur miserima ejus fata asinir o sepulcro notabiliora fuerint reddita, & trium antea præteritorum Regum si urgeatur omissio, mors violenta (test. Walth. Harm. ad h. l. rat. X.) & clades insuper ab Israëlitis accepta (vid. Lightf. Harm. pariter & Hor. Hebr. ad h. l. Matth. ubi loca 2. Reg. 10, 30. Ps. 37, 28. Exod. 20, 5. citantur) indignos illos reddiderit, qui familiæ Christi numerarentur. Sed id nimis est frivolum, cum nonulti alii & nec in passis fuerint violentam, & cladem ab Israëlitis sibi illatam senserint, & vel peioribus maculis exosi fuerint, qui tamen propterea exclusi non sunt, insuperque hæc non tam Jesu Christi, quam Josephi propria fuerit genealogia.

§. 7. Alii artificium mnemonicum urgent, quo Sp. S. fuerit delectatus in rotundando triplici ordine quatuordecim virorum, & cooptando triplici vitæ genere Patriarchali,

A 3

li,

li, Regali, & Ducali. Cum igitur Sp. S. ita agere memor-
riæ & ornatus causâ constituerit, tum demum omitten-
dos fuisse tres reges, qui non potuerint commodius
ullibi præteriri, quam in posteris Jorami ob maledicti-
onem domui Achab factam I. Reg. 21, 21. 2. Reg. 9, 8.
19. Quâ sententiâ uti permouentur plurimi, ita etiam
B. Waltherus Harm. Bibl. in h. l. Verum ne sic quidem
sufficenter responsum esse videtur: quid enim deliciarum
DEUS habet in mendacio? cum omnibus ordinibus v 17.
præmittat communem vocem universalem *πῶς*, contra
quam quidquid vel per articulum *αὖ* emphaticè sumtum,
vel per non iteratam signi repetitionem excipitur, nimis
est ad hanc tantam rem levidense. Aut quare id fiat solius
memoriæ causâ, cū graviora multa, multa familia in SS. repe-
riantur, ubi tali novo invento aliquid omittendi, quod per
veritatē numeri omitti haud poterat, usum Sp. S. non videas?
Nec poterit illud memoriæ consulere, quod trium regum,
quorum potestas æquè ac reliquorum, quamdiu regnarunt,
à DEO fuit, memoriam tollit. Numquam artifex est con-
traveritatem Sp. Sanctus: nec artificium dici poterit ejus-
modi rotundatio vel insipientissimo cuique imitanda, ut
rotundet numerum contra claram veritatem, si deinceps,
ut res consentiat, aliqua nomina omittere velit. Eiusdem
momenti esse puto cooptationem triplicis vitæ generis,
patriarchalis, regalis, & ducalis, cum facile cuique pateat,
patriarchale nullum fuisse peculiare vitæ, vel regiminis pu-
blici genus, nec patriarcharū nomen ultra filios Jacobi recte
ad seram posteritatē extendi, & quosdam in iis, qui patriar-
chæ ab illis dicuntur, principes fuisse, ac duces. Ita & in classe
tertiâ ducali ut vocatur nihil fuerit difficilius, quam exclu-
dere primum Regem à dignitate regia, & reliquorū ducalem
dignitatem vel ullo argumento sufficiente tueri. De maledictio.

ditione verò quæ adjunguntur, sane domū Achabi gravissima maledictio feriit, sed de tali maledictione, per quam omittantur à numerata genealogiâ tria regum nomina, S. scriptura nihil novit.

§. 8. Alii tandem modestiam poscunt lectorum, ob Sp. S. reverentiam non illaudabiles, dum dicunt suam Sp. S. constare rationem, quam li. et nos investigare non possumus, certo tamen latis gravem fuisse credere possumus. Videatur J. F. Stapulensis, cujus hæc verba sunt ad h. l. *Inter Joram & Oziam, tres medi omittuntur Ochosias, Joas, Amasias, quos quâ ratione Spiritus Evangeliste hac generationum serie exclusit, indignosve censuerit, ipse novit, qui omnia novit, qui scrutatur profunda etiam DEI & conf. B. Calovius in h. l. Desperantis tamen hoc animi signum est, quamvis piam hanc desperationem esse, nolim diffiteri.*

§. 9. Huic sententiæ oppositi Philonis & Annii sectatores quidâ abrupte in Joram filū lineæ Salomoneæ cupiunt, & in Achasia novâ Nathanis familiam inchoant, sed illi contra clarissima scripturæ verba tam in hoc ipso loco, quam in historiâ Regum Veteris Testamenti gravissimè impingunt, & ne sic quidem huic loco mediri possunt, quoniam hæc ratione ii, qui inter Davidem & Osiam numerantur, nihil ad Josephum pertinebant, nec Matthæi animus erat, reges, sed parentes Josephi numerare, qui ita tandè plures numero fuissent prætermissi, eorumq; loco alii substituti, seu planè alieni. Præterea illi graviori iterū cubio implicantur, quare, cum spatium multorū annorū inter Jorami, & Osiam vitam intercesserit, hi reges Osiam patres, lacunam ætatis qui poterant supplere, fuerint præteriti, & non tantum genealogia, sed & decurrens mundi ætas reddita sic hiulca. Quamobrem hanc planè sententiam historiæ, & tempori, & juri familiæ pariter, ac genealogiæ ubiq; refragantem suscipere nequimus.

§. 10.

§. 10. Non possum, quin magnopere mihi placere profitear clausulam B. Waltheri Harm. Bibl. l. c. quam, ubi quæ sibi præreliquis sententia amaretur, exposuerat, talem denique facit: *Melius certiusque quid si quis excogitare poterit, et me sibi habeat cum tripudio et obsequio assistipulanssem.* Cum igitur è tot tantisque sententiarum pro affirmativâ dicentium divortiis facile perspiciatur, imbecillum id assertu esse, quod tot columnæ non sustinent, sequente plerumque aut honesta desperatione, aut meliorum desiderio, & Anniana sententia plus noceat, quam juvet, licebit nunc recentem forte, solam tamen propter novitatem in re historica non adspernandam aliam sententiam exponere, quam tamen recto prudentum, ac piorum *Εὐλαϊοφίλων* iudicio lubentissime submittam. Atque ita ad propositam Quæstionem respondebo:

Nullum plane omissum à Matthæo est genealogia Josephi membrum.

§. 11. Probo autem sententiam meam (1.) simplicissima Spiritus Sancti enarratione generationum: (2.) continuâ usurpatione vocis *γενεα*, quæ à nativâ sua significatione recedere non debet, circumstantibus præsertim undique significationis propriæ plurimis exemplis: (3.) confidentiâ Matthæi, qui sub ipsum sui libri principium non hæc fuisset scripturus, si falsitatis notam vereri debuisset à Judæis in prisca Regum historiâ optime versatis: (4.) universalitate vocis *γενεα* v. 17. ab initio posita. (5.) expressâ numeratione, quod à Davide usque ad deportationem Babylonicam (primam scilicet) sint *γενεαι* (id est membra seu capita genealogica) *δεκατριώακις*, quatuordecim. (6.) conformitate tesseradecadis mediæ cum primâ ac tertiâ: primæ enim nihil deest ex suo illo numero, nec tres Boos contra scripturam fingentibus cedere possumus: tertiæ etiam nihil deest, nam Phadaja è 1. Chron. 3, 18-19. Salathiel

eli substituendus temere & sine iustâ ratione contra Matthæi fidem adducitur : non ergo alia poterit contra clarum textum fingi sententia numeri cardinalis in mediâ tesseradecade, atq; ea, quæ in prima & tertia fuit. (7.) inductione exemplorum temere in quæstionem deductorum de Booz, de Phadaja, de Jojakim, de tribus Regibus, in quibus omnibus nihil dextrè probatur. (8.) possibilitate solvendi hoc dubium salvâ manente serie genealogicâ. Quia igitur potissima in secunda tesseradecade movetur quæstio de tribus Regibus, itèq; de Jojakimo omiſſis, nunc causam ipsam propius sumus spectaturi, atq; ita quærimus:

II. Quomodo Joram Ozia pater? sive

An Joramus Ozia pater Matthæo dicitur per generationem mediatam, nec ne?

§. 1.

Verba Matthæi dubium hoc creaverunt, siquidem c. 1, v 8 dicitur *Ἰωρὰμ υἱὸς Ὀζίας*, Joramus verò genuit Oziam, quorum quidem verborum sensus est, qui nunc in disceptationem venit: veritas in disceptationem venire non debet. Illi enim agunt pessimè, qui putant à Matthæo confundi Ochoziam, & Oziam, quos statim à limine volumus esse remotos, quippe cum Matthæus à Sp. Sctus ab ejusmodi errore planè fuerit immunis, prætereaq; sat magnum in Hebræo discrimen sit inter *אחוזיא* & *עוזיא* nec Matthæo potuerit esse incognita enarratio Regū Judæ 1. Chr. 3. facta.

§. 2. Confiteor autem statim, nullum me vidisse, præter eos, qui Annum è Philone sequuntur, qui Joramum Regē hic patrē Ozia dici generatione mediatâ non putarit. Quæ causa ut exponatur, de iis, qui pro Affirmante loquuntur, ab initio est dicendum. Ibi igitur Patres, qui ad hanc materiam animum applicuere, mediatam generationem urgent, & causas conquirunt, cur omiſsi illi sint, quos generatio illa mediata prætereat, in quibus industrios se stiterunt

B

hoc

hoc in negotio Africanus, Hieronymus, & Hilarius aliiq̄.
Sequuntur eos pleriq̄ recentiores, Rupert⁹, Salmero, Scho-
lastici cœteriq̄ Pontificii plurimi. Consensũ est ab Ecclesiã,
Reformata quæ dicitur, doctorib⁹ unanimi ferme dicã con-
fensione: quique in Ecclesiã nostrã in hanc rem sunt com-
mentati, avidissimè hanc sententiam adoptaverunt, præ-
eunte B. Luthero, cujus ad citatum v. 8. in glosã hæc sunt
verba: *S. Matthæus lasset etliche Gliede eussen.* Eum
deinde secuti sunt reliqui magnã animorum conventionem.
Alter Martinus, Chemnitium dico, Harm. Evang. Cap. 3.
p. 58. scribit h. m. Matthæus dicit Joramum genuisse Ozi-
am, cum constet, non immediatè hoc factum, sed tres in-
tercessisse, Ochosiam scilicet, Joam, & Amasiam, à quò
immediatè genitus fuit Ozias. Nec oblivione aut incur-
ria Matthæum hoc fecisse, dicendum est. Walth. in Harm.
Biblicã in h. l. hæc habet: Cap. eod. v. 8. Joram dicitur
genuisse Oziam, cum ex 2. Reg. 8. v. 24. & cap. 11. v. 2.
uti & ex 1. Chron. 3, v. 11. 12. constet, genuisse Achasiam,
hunc vicissim Joasum, & hunc iterum Amaziam, qui de-
mum genitor fuit Ozias. Tres itaque Reges intermedii,
Achasia, Joasus & Amazias in serie hãc genealogicã præ-
termittuntur. Quod Judæi juxta & profani alii Matthæo
vitio vertunt. Resp. Prioris scrupuli solutio est facilis,
quamvis enim Joramus Oziam non genuerit generatione
immediatã, veluti alias filius à Patre suo *αμεως* fertur
gigni, mediatè tamen illum genuisse rectè prædicatur.
Hoc sensu nos homines ad unum omnes ex Adamo geni-
tos, rectè affirmari potest: et sic Elisabeta Luc. 1, v. 1. dicitur
esse ex filiabus Aaron, &c. Hæc ille. Sic Glãss lib. 1. tract. 1.
Phil. Sacr. p. m. 49. licet incidenter, *Matth. 1, 8. Joram ge-
nuisse Oziam non immediate concedit, sed medianibus Ocho-
ziã, Joã, & Amazia.* Prückn. in Vind. Bibl. ad h. l. Joram, ait,
genuit

genuit Oziam, non quidem generatione immediata, velut alias filius à Patre suo immediate, hoc est, nullo plane intermedio gigni dicitur, sed mediate, ut atavus nepotem: quâ etiam ratione Christus dicitur filius Abrahamæ, & Davidis, Matth. 1, 1. ex quô sensu nos omnes ex Adamo genitos & procreatos esse, recte affirmari potest. Addi poterant Bebelius, Brochmannus, Calovius, & plures alii: sed quorsum numerus? Vix erit, qui dissentiat præter unum aut alterum, cui Philo supposititius non displicuit. His igitur convenientibus id unum deliberatum est, quâ arte S. Matthæi fidem ita tueantur, ut contra ipsius calumniatores justas allegare rationes, vel numeri deinde subiecti certitudinem nihilo secius possent monstrare. Sed in his porro non erimus operosi. Waltherus, Calovius aliiq; è nostris, & Spanheimius, Lighthfootus, & Polus è Reformatis, aliiqve ex aliis hanc operam præstiterunt, quos adire licebit. Nunc de sententia Anniana.

§. 3. Floruit in decrepitis Judaicæ reip. temporibus Philo Judæus, cujus multa habemus, & non sine fructu legimus erudita scripta, Hebraicam pariter, Græcam, & Latinam quoque sapientiam exhibentia. In iis autem nusquam reperitur Breviarium de temporibus, de quo Bellarm. lib. de Script. Eccl. hæc monet: Circumferitur nomine Philonis Breviarium temporum, sed ab omnibus rejicitur, ut etiam alii historici, qui cum eò brevuario simul editi sunt. Chemitius quoq; nostras h. l. satis amplius in Philonis operibus hoc breviarium non haberi ait, proptereaque personatum Philonem vocat. Invenit autem supposititius ille Philo obstetriciam manum Joh. Annii Viterbensis, S. Th. Professoris, cujus è curâ primum Antverpiæ aliis cum scriptis in antiquitatum studiosorum commoditatem (ut verba editoris referunt) sub

formâ enchiridii excusus, & deinde est prototypo sæpius alibi impressus est. Is Philonem hunc personatum laudare ausus est his verbis in Procemio ad I. lib. Philonis: *Edidit plura opera, inter quæ illud eximium est, quod brevibus & absolutis verbis emendavit omnia tempora ad suam rectitudinem & integram veritatem ab Adam usque ad suam ultimam decrepitem; Sob brevitate operis illud Breviarium detemporebus appellavit, mirorque cur a Theologis sensim neglectus fuerit, & ab episcopis derelictus, cum ex eo pendeant multa contra Hebræos, & complura divinarum dubia literarum elucidentur. Sed vel ignoro, cur ita factum sit, aut, sciscio, non ausim dicere.* Verum quicquid laudet, ac dicat Annius, rarissimos tamen invenit, quibus personati sui Philonis fidem faceret, unde post varia monita Chemnitius noster in Harm. Ev. c. 3. p. 60. ait: Illa Anniana valde & suspecta & incerta esse aliquoties jam dictum est: quibus & nostrum calculum, quantum etiam valere possit, addere volumus.

§. 4. Sed audiamus sententiam Philonis. hic lib. I. meminit decreti David de successoribus regni, qui, cum orta lis esset, quis regno præcederet inter filios Davidi est Ber-saba genitos, statuerit à junioribus debere inchoari, & ut natu proximi familia succederet, ubi naturalis posteritas minimi deficeret. Itaque à Salomone minimo cceptum esse, ejusque lineæ forsân aliquando desiturae surrogatum esse Nathanem natu proximiozem filium, ejusque porro filium natu minimum, qui dictus fuerit Ahiasar & Mathat, unde posterii ipsius fuerint dicti Ahiasarim, (autori fictitio nomen hoc est. Reg. 4, 6. sicut proximum est Luc. 3, 31. sum-tum est) & Mattharim, id est, uti vult, fratres principis, & donati, scilicet jure succedendi: itemque filios regis, ac fratres ejus, qui regni heres erat est lineam Salomonis futurus: quali

quali nomine à Salomonis tempore fuerit usque ad tempora Ahasiæ vocata posteritas Nathan. Addit Joramum Judaicum primum fuisse, qui posteros Nathanis, dictos è lege & decreto Davidis, non vero è proximâ sangvinis cognatione ortos fratres, interemerit, quod, cum reditus suos è solâ tribu Benjamin antea accepissent, nunc etiam è tribu Judâ à Josaphato ipsis arces & reditus annui contigissent. Ahasiam deinde Jorami filium solum remansisse è familiâ Salomonis, & cum eò vixisse eos Nathanæos, quorum parentes pater Ahasiæ Joramus occiderat: hos vero ad unum omnes Ahasiâ interemto necatos esse ab Athalia illius matre, nisi quod de consilio Josabat, quæ non regis filia è Salomoneo sangvine, sed è consangvinitate fuerit Nathanæâ, cædi præreptus fuerit Joas infans è Nathan ortus. Atque ita deinceps urget lib. 2. Joasum à Joadâ conservatum, fuisse primum Regem è familiâ Nathan, ac deinceps Nathanæos imperium tenuisse, pluribus quidem semper nominibus inclytos. Sic Joasum dictum esse Symeon, sic deinceps Hiskiam Josen, & Manassen filium ejus Her vocatum esse. Hæc Philoniana commentariolo suo comprehendere cõnatus est Annius, & ut paucis rem exponam, eum nomina Zorobabelis & Salathielis apud Lucam & Matthæum eo impulerunt, ut Salomoneam stirpem in Ahasiâ cum Philone suo rumpere, Nathanæam vero in throno Salomoneo collocaret, & Regibus nomine suo è V. Ti. scripturâ illustribus alia obscuriora nomina imponeret, quæ ex Luca depromebat. Unde Joas ipsi fit Symeon Luc. 3, 30. Amasia Levi, Usia Matthat, Jotham Joreim, Ahas Eliezer, Hiskias Joses v. 29. Manasses Her, Amon Elmodam, Josias Kosam v. 38. (litigare nunc poterit secum ipse, uter Jojakim esse debeat, num Addi, an Melchi s. duos enim

illos Lucas v. 28. habet, ubi numerando & fratrem Joachas pro patre censendo Annus peccavit} Joachin ei est Neri v. 27. Sic Annus egregie genealogias V. & N. Testamenti conciliat! Omnia vero tandem eo abeunt, quantum ad nostrum attinet locum, Joramum Regem Judæ fuisse verum patrem Achazizæ, sed non fuisse avum Joas, non proavum Amazizæ, non abavum Usizæ, atque ita Usiam plane non fuisse est posteris Jorami. Quasi interpretatione quomodo Matthæus salvari queat, expresse scribens: Joram genuit Usiam; id profecto nullâ ratione percipi potest, cum ex Philone illo personato, & Viterbenfi Anno Joram nullâ generatione neque mediatâ neque immediatâ Usiam genuerit. Solum hoc argumentum contra Pseudophilonem Annianum sufficit. Aut enim errat Matthæus Philoni inconciliabilis, aut errat Philo & cum eò Annus. Matthæum vero a Spiritu Sancto actum errare, quis quæso patiatur? præsertim cum in primis N. T. temporibus Matthæus ista scripserit, nullo Hebræorum tum temporis contradicente, & fidem historicam accusante, quantum nobis quidem ex antiquissima historiâ constat. Annus igitur suo cum Pseudophilone, nullam nec mediate, nec immediate factam Usizæ à Joramio generationem concedente, ac totam S. Matthæi genealogiam labefactante removendus omni jure manet.

§. 5. Non desinunt tamen satis arduæ se offerre rationes, quare sententia illa de generatione hîc intelligendâ mediatâ simplicem assensum intellectus, de veritate & veritatis hostium confutatione solliciti, non tam facile obtineat. Non diffiteor, si nulli forent, qui famam & fidem S. Matthæi, & per eum totius Evangelii impugnarent, tutò hanc disputationem præteriri posse apud eos, qui talia magno sudore digna non æstimant, & credentium animos

non

non putant facile dimotum iri à veritate fidei Christianæ propter ejusmodi nodum, in quo dici possit: Quantum est, quod nescimus! item illud: Sunt, quæ nesciri sine pudore possunt; sunt quoque quæ nesciri etiam cum gloriâ possunt. Verum cum lector veritatis cupidus, & justâ bilance Verbum DEI adhibito Verbo DEI ponderans tali in scopulo sæpe sibi ipsi fit molestus, & caro ac sanguis non rarò contra spiritum luctam tollant idque apud renatos & credentes, ac Diabolus vel per subito objectas cogitationes, vel per aliorum maledicâ aut dicta aut scripta nos tentare non desinat, & calumniatorum Verbi Divini non parva sit copia: sic existimo, non esse studium conciliationis per ipsam Scripturam inveniendæ nisi laudandum, si caveatur naufragium fidei, & sana sentientibus conciliatoris se permittat opinio, & omnia modeste fiant. Quibus adhibitis cautionibus genealogiam præteriens Heinsius in Exerc. Sacris ad Matth. c. i. cum scripsisset, se contentum esse illo Ambrosii ad Lucam: *Non licet mihi scire generationis seriem; non licet tamen nescire generationis fidem;* deinde subjungit: quamvis industriæ eorum, qui hic operam & nostro tempore, & olim posuerunt, unicè favemus.

§. 6. Quod igitur ad quæstionem attinet, in negativam sententiam magis inclinari posse, existimo, scilicet *Joramum Usie patrem non esse generatione mediatâ, sed immediatâ.* Quam quidem ad præferendam sententiam sequentia me impellunt momenta, quæ judicio eruditorum ponderanda concedo. Primum longè exploratissimum nobis Christianis est, Matthæum scripsisse actum à Spir. S. atque ita non pro voluntate suâ, quod velut homini lubebat, scripsisse, sed pro voluntate divinâ, quæ ipsius animum, manum,

num, calamum infallibili curâ regebat ac movebat. *Secundo*, non minus exploratum est, expressissima esse verba Matthæi: *ἰωρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν οὐζίαν*, Joram vero generavit Oziam: quorum verborum contra veritatem nihil valet objectio de errore librariorum, & varietate codicum; cum nullus simpliciter codex aliam lectionem exhibeat, & talia facile dicantur, difficulter commonstrentur. *Tertio* id etiam in confesso est, vocem *ἐγέννησε* in hoc Matthæi capite creberrimè occurrere, & ubiqve significare generationem immediatam filii è vero suo patre, planè nullò locò renuente, aut aliud permittente: nec *quarto* dubium esse potest, hanc veram, propriam, & genuinam esse vocis significationem, à quâ recessio non ita facile permittenda. *Quinto* planè in apicò positum est, Matthæum non tantum exposuisse ordinem generationum, & membrorum totius seriei, sed & v. 17. ad excludendam omnem erroris suspicionem divinâ profecto observatione totam genealogiam in tres ordines distribuisse ab Abrahamo ad Jesum Josephi filiū legalem, atq; credititium, quæ triplicitas distincta ostendit sublimem quamdam rerum istarum curam. *Sexto* accedit numerus planè æqualis observatus, & terna repetitio vocum *γενεαὶ δεκάτρισκαρες*, qui numerus sine erroris gravissimâ specie non potest detorqueri contra numeri naturam ad septemdecim, nec sine ludibrio quodam dici, Spiritum S. voluisse mediæ classi numerum æqualem cæteris conficere, cumqve id fieri non posset, Eum extrusisse tria nomina, ut ita memoriæ humanæ succurreret, cum in magno hominum Christianorum numero vix invenias, qui illa nomina a vide ediscant. Accedit *septimo* limes expressissime ab utraque parte positus, quando dicitur: *ἀπὸ Δαβὶδ ἕως τῆς μορτακιστίας Βαβυλῶν* ①, *γενεαὶ δεκάτρισκαρες*, per quæ utrumque

que

que terminum non permittitur lectori suspiciuncula, quod aliquod
 sit omissum, sicut & reipsâ id nemo suspicaretur, nisi ipsi aliunde du-
 bium crearetur. *Octavo* memorabilis est in v. 17. vox *מַתְּתַי*, quæ li-
 gnum universale â fronte totius versus ponit, accipienda de totâ
 ferie omnium in triplici illa classe recensitorum Virorum, neque
 enim pertinet ad solam primam classem, sed eam ipsam ob causamâ
 primo initiô ponitur, & distributioni per *דָּוִד, וְגַם דָּוִד, & דָּוִד*
 præmittitur, ut ad omnes classes pertinere intelligatur. Sicut & *nonô*
 particula *וְ* non infrugifera, nec ociosa est, sed continuam mem-
 brorum expositorum cohesionem ita quasi repetit, & complectitur,
 ut consequens tota oratio, & numeri computandi iusta veritas, è
 præcedentibus exploratissimè pendere sentiat. Premit hoc *deci-
 mō*, quod non auditum sit è seculo primo, umquam â quoquam accu-
 satum esse Matthæum, quod tres illos Viros omiserit, quodve causa ab
 ipso illius omissionis sit exacta, præcipuè cum Hebræis in genealo-
 giâ solertissimè versantibus Matthæi Evangelium occultum esse non
 potuerit, qui totam viri fidem non blasphemare tantum, sed & la-
 betactare magnâ cum specie & industriæ significatione studuissent,
 si verè factam hanc trium nominû omissionem accusare potuissent.
 Unde tum temporis apud Hebræos eandem, quam Matthæus hic
 explicat, viguisse ac dubitatione caruisse genealogiam, ubi accu-
 ratius institueretur, dubitare nōlim: imo non parvi id facio, quod
 post tot secula maledicentissimus Judæorum R. Isaac ben Abraham
 in blasphemo suo adversus Christianos libro *מִנְחָת כּוֹסֵף* quod si-
 gnificat Munimen fidei, Matthæum hic non fecerit fallitatis, aut er-
 roris reum, sed hoc dubium planè prætermiserit, primâ accusatione
 contra Matth. i. v. 15. 16. coll. Luc. 3. 31. factâ. *Undecimō* obser-
 vo, quot Virorum longè prudentissimorum & summè industriorum
 ingenia se exercuerint in inveniendis rationibus, quare illa nomina
 sint prætermissa, quodque tandem omnes vel in desperatione quâ-
 dam honestâ, vel in anxio meliorum desiderio meditari desierint,
 nec umquam hic sibi satisfecerint, aliis fortasse multô etiam minus,
 Quæ omnia cum probè pensito, & *duodecimō* vestigia veritatis hu-
 jus etiam in V. T. extare video, hucusque non possum, quin Matthæo
 simpliciter assentiar, Joramum Josaphati filium esse genitorem Ussiæ
 illius, qui Josaphatum generavit, interque illum Joramum, & hunc

C

Ossiam

Q̄siam non esse ullam intercedentem generationem, atq̄ve ita revere-
rà à Davide ad Jojakimum, seu Jechoniam Primum, q̄vi tres fratres
habuit, accuratè esse quatuordecim *generat̄s*, seu generationes, id est
generationis membra seu capita.

§. 7. Q̄væ dixi de vestigiis in V. T. sese demonstrantibus,
nolo frustra & in casum dicta cuiq̄vam videri, ideoq; eadem detege-
re nunc allaborabo. Primum autem vestigium deprehendo in minis
DEI domui Achab per Eliam nunciatis 1. Reg. 21, 21. 22. Ecce ego ad-
ducens ero in te malum, & auferam posteros tuos, & excidam Achabo
mingentem in pariete, & clausum & derelictum in Israël, & dabo
domum tuam sicut domum Jarobham filii Nebath, & sicut domum
Bascha filii Achijah, contra irritationem, q̄vâ irritasti & peccare fe-
cisti Israël. Quibus quidem verbis universalis extinctio totius
posteritatis Achabi certò futura, nec avertenda innuitur: cujus
adeò memor DEUS fuit, ut per Elisam seligeret quendam è filiis
Prophetarum, q̄vi Jehu ducem militum regem ungeret in Achabeæ
familie exitium, cujus ex ore hæc ad illum Jehu venit divinæ volun-
tatis significatio 2. Reg. 9, 7. 9. Percuties domum Achab domini tui,
& ulciscarego sanguines fervorum meorum prophetarum, & san-
guines omnium fervorum Domini de manu Izabel: & peribit omnis
domus Achab. & excidam Achabo mingentem in pariete, & clausum
ac derelictum in Israël: & dabo domum Achab, sicut domum Jarobh-
am filii Nebat, & sicut domum Bascha filii Achijah. &c. Q̄vòd
quanto fervore effectum sit in Israëlitico regno per manum ac iussum
Jehu è 1. R. c. 9, & 10. clarissimè patet. At verò non continebantur
istæ minæ solis terminis regni Israël, sed in regnum quoque Jehuda
transitum habebant, quoniam Achabi & Izabelis filia Athalia Joramò
Josaphati filio nupserat 2. Reg. 8, 18. 2. Chr. 18, 6. & ad ultimum usq;
Dei fastidium Israëlita scelera in domum Jhuda introduxerat. Quam-
vis autem Deus domum Davidicam nolle extinguere 2. Chr. 21, 7.
ob promissum Davidi factum, & Joramum ipsum, q̄vi non erat ex A-
chabi sed Davidis familiâ genitus, statim haud deleteret; minæ tamen
in Achabi posteros simpliciter delendos effusæ non indormierunt,
nec, ut Scripturæ verba inducam, temerè in terram sunt relapsæ, sed
consummatæ sunt in exitio filiorum Jorami 2. Chron. 21, 17. in cæde
unius superstitis filii Achasæ coronati jam regis c. 28, 9. in nepotum
Jorami

Jorami stragec. 22, 8. 10. in obruncatione conjugis Jorami viduæ
 c. 23, 15. 21. in interfectione Joæ nepotis Jorami c. 24, 15. ejusque
 magnatum ac liberorum v. 23. 27. in occisione Amaziæ pronepotis
 Jorami c. 25, 27. cujus liberi omnes abducti sunt v. 24. ita ut nullius
 unquam reversi ulla fiat mentio, quod suspicionem cladis interneci-
 næ auget, suffragante præsertim divinâ indignatione superius è
 1. Reg. 21, 21. 22. & 2. Reg. 9, 7. - 9. recitatâ. Atque hi ipsi illi sunt A-
 chalias, Joas, Amasias, Athaliæ Achabi filix filius, nepos, pronepos,
 quos Matthæus prætermisisse fertur documento non contemnendo,
 in his viris à Joram Athaliæ Marito genitis desisse ultimos ex Achabi
 linea, ipsiusq; Jorami Regis illam lineam (quamquam propterea Sa-
 lomonis per Josaphatum linea non desierit) intercidisse, sicut Do-
 minus prædici jussit, atq; interminatus fuerat. Fundamentum
 igitur hoc est valde firmum: si exstingvi debuerunt omnes posteri
 Achab, & omnis domus Achab, ad similitudinem domus Jaroabham
 & domus Baëscha, ut Achabo nemingens quidem ad parietem re-
 linqui debeat, nec quisquam planè vel miserrimus in Israël; pro-
 pago ipsius per Athalias non potuit nisi penitus exstingvi, etiam in
 regno Judæ, sicut & supra adducta exempla, id clarissimè ita conti-
 gisse, demonstrant.

§. 8. Alterum vestigium invenio in interregno inter Ama-
 ziam Regem Judæ & ejus successorem Ufiam satis diuturno, quod
 non intercessisse mihi persuadeo, si Ufias Amaziæ verus & naturalis
 filius, ab eoq; genitus fuisset. Scilicet omni dubio vacat, quod Ama-
 zias Rex Judæ fasces Regni acceperit anno Joæ Israelitici secundo,
 quodque regnaverit annos viginti & novem 2. Reg. 14, 1-4. Dubio
 quoque vacat, quod Jerobeam Secundus Rex Israelis renunciatus
 sit anno regnantis Amaziæ decimo quinto, quodque regnaverit
 annos 40 ginta & unum 2. Reg. 14, 23. quodque Amasias Jeroboam
 secundo inter Israelitas regnante, regno Judaico adhuc præfue-
 rit annos quindecim 2. Reg. 14, 17. Ex quo consequitur, quod Ama-
 zias Rex Judæorum fuerit mortuus anno Jeroboami secundi de-
 cimo quinto exeunte vel anno decimo sexto ineunte. At vero
 Ufias ejus successor a populo constitutus rex est anno Jeroboami
 II. vigesimo septimo 2. Reg. 15, 1. cum esset juvenis annorum se-
 decim. Ergo ab anno decimo sexto Jeroboami II. ad annum ejus-

dem Jeroboami II. vigesimum septimum nullus Rex fuit Ihuda
ted (quod ante inauditum) interregnum fuit undecim anno-
rum. Quæ quidem res satis arduæ est indagationis, quænam cau-
sa fuerit, cur interregnum inciderit in Judaicarum rerum admi-
nistrationem. Nihil tunc fuit hostilis metus, aut violentiæ, quod
impedierit, quantum è sacris discimus: nec erat minorennitas
Uliæ, quæ obstabat, cum regnum Ihuda regem in Joâ vidisset
septennem, 2. Reg. 11, 21. 2. Chron. 24, 1. & causa tamen interfuisse
debet, quo minus Ulias regnum non susciperet, nisi natus annos fede-
cim & videns XI. annorû interregnum. Illam igitur existimo causam
esse, quod Ulias Amaziæ filius non fuerit naturalis, sed proximus tum
temporis agnatus, atq; è Salomonis ac Josaphati linea rectè quidem
descendens, diu tamen dilatus, si fortè proximior reperiri quivisset.

§. 9. Colligo vero illud è variis etiam aliis argumentis.
Primum est, quod alicubi debeat esse terminus lineæ ex Achabò
per Athaliam filiam descendens, qui si hic non figatur, nullibi
commode figi potest. *Alium* est, quod 2. Reg. 14, 14. & ite-
rum 2. Chron. 25, 24. constanter asseratur, quod Joas Rex Israelis,
ab Amazia provocatus, & victor victi regis liberos secum abduxerit,
obsides fidei futuros. Deinde quidem mentio fit mortui Joæ
Israelitæ, qui victor fuerat: fit quoque mentio Jeroboami successoris:
fit etiam mentio diuturnæ vitæ Amaziæ, qui 15. annis victorem su-
peravit: nulla autem fit mentio reductim aut liberatorum filiorum.
Tertium est, quod morte Amaziæ exposita nulla ordinaria succes-
sio facta legatur, quæ tamen facta fuisset è sanctò regalis lineæ ju-
re, si quis filiorum Amaziæ superfuisset, ut metus sit non vanus
eos perisse, sicut minatus erat DEUS posteris Achabi, siue sicca siue
cruentâ morte perierint, certè in patriam eos nunquam rediisse.
Hinc mortuo Amaziæ interregnum succedit, cum eatenus non au-
ditum fuisset, Regi Judæ successisse regem quemdam, qui filius non
esset; unde sine dubio heres filius, si quis usquam superesset aut
forte effugisset è custodia, expectatus fuit, eaque expectatio con-
tra populum Regis cupidum à magnatibus regnum administranti-
bus non sine magnâ juris specie allegari potuit. *Quartum* est,
quod inusitata eousque in successione formula hic legatur: ET
PREHENDERUNT UNIVERSUS POPULUS IHUDA AZA-
RIAM

RIAM (seu Uſiam) & ipſe natus erat ſedecim annos & regnare voluerunt eum loco Patris ipſius Amazia 2. Reg. 14, 21. quæ eadem verba etiam 2. Chron. 16, 1. leguntur. Quid illâ ſingulari formula, inuſitato plane ſtylo & exemplo adjuncta, opus fuiſſet, niſi quid ſpecialius tunc contigiſſet circa coronationem Uſiæ? quod quidē, nullâ alia per Scripturâ cognoscibili ratione exiſtente, non male exiſtimatur fuiſſe ratio agnationis, per quam deficiente naturali filio coronatus fuerit legalis filius Uſias, & vana per tempus undecim annorum exipectatio proliſ ab Amazia descendentiſ, quæ id eouſque impediverat. *Quintum* eſt, quod Amazias ad Uſiam relictus bis in ſacris Rex dicatur, nimirum 2. Reg. 14, 21. Ipſe (Uſias) ædificavit Elath, & reverti fecerat eam ad Iudæam, poſtquam occubuerat Rex (Amazia) cum patribus ſuis. Similia planè leguntur 2. Chron. 26, 2. Profectò haud fruſtra id enarratur, juvenem Uſiam poſt mortem Regis occupaviſſe & regno Judææ reſtituiſſe opidum Elath, idque uti ex circumſtantiis videtur, tū temporis, cum nondum coronatus erat loco Amaziæ. Haud fruſtra ſane Rex dicitur defunctus, qui ſi verus genitor fuiſſet, non ſine connexione rerum dilucidior e pater ejus aucti conſtanter potuiſſet. Quid enim facilius aut commodius erat, quam ſic ſcribi, Ipſe (Uſias) ædificavit Elath, & reverti fecerat eam ad Iudæam, poſtquam occubuerat Pater ejus (Amazia) cum ſuis Patribus. Quibus ita poſitis ac penſitatis mere lubet ſubſcribere Matthæo, quod Ozias non fuerit genitus ab Amazia, ſed potius à Joramō quōdam Joſaphati filio poſthumo forte, certe minimo, & ad regnū non evectio.

§. 10. Hæc ſunt, quæ de negotio diſputari poſſunt, ut Veritas Matth. & V T. explicetur. Quæ contra hæc obſcure videntur; (a) de nomine patris 2. Reg. 15, 1. & filii 2. R. 14, 21. 2. Chr. 26, 1. 4. ſed ad legem exponendis; (b) de genealogia 1. Chr. 3, 12. ſed regali ac legali potius, quam naturali; (c) de interceſſione temporis longioris, quod Joramō privati ſenium conciliat; (d) de duobus filiis Joſaphati ἑτερονομῶν, quod è 1. Par. 3, 6. 7. è 2. Par. 21, 2. & 1. Par. 3, 15. coll. 2. Jer. 22, 11. 12. tollitur; (e) de ſilentio ſcripturæ 2. Chr. 21, 2. quæ minimū & poſthumū forte ob circumſtantiis prætermittit; (f) de omnium fratrum cæde 1. c. v. 4. quæ ad præcedentes v. 2. eſt reſtringenda, uti Judic. 8, 30. 31. coll. c. 9, 2. 5. 18. item 2. Reg. 11, 1. 2. & 2. Chr. 22, 10. 11. (g) de reſſeſſe ad eadē mediā non fuerit à regali, quod Matthæus non intendit; (h) de multis extra Scripturam

postulatis ac precario dandis, quod idem & in aliis quibusq; conciliatio-
 nibus requiritur, cum hic una hypothesis: *Joramum Iorami Regis fra-*
trrem quendam posthumum, cerce minimum vixisse, totum negocium di-
lucidet: ea rem non tollunt. Pro immediatâ autem generatione
 Usâ â Joramio sic argumentari licebit: *Quicumque ita dicitur*
alteram genuisse, ut ab Evangelistâ Sp. DEI habentis illa generatio non
nisi pro unâ accipiatur, & numeretur, ille non potest esse alterius pa-
ter mediatas. Sed *Joramus Oziam &c. E.* Atq; hâc in sententia per-
 sistere lubet salvis disputatis, quæ sic gesta esse, ut acerbè defendi haud
 est opus; sic negari nequit potuisse ita contingere, & varia olim fu-
 isse cognita, quibus militari posset, si eorum cognitio ad nos venis-
 set. Sufficiat illud, non videri Matthæum quatuordecim *γενεας*
 numerantem vel unicam prætermisisse. Sequitur nunc quærendum

III. An Jojakim sit omissus à Mattheo, necne?

S. I.

Affirmativam qui sequuntur, eorum pars ex errore Matthæi
 ita factum esse existimat, siquidem Jojakimum, & Jojachinum
 ab illo confusos esse ferunt. At præter id, quod injurii sunt in S.
 Scriptorem, hoc quoque accedit, quod nihil pro se argumenti ha-
 beant præter (1. unicum *Ἰεζακίας* nomen, & (2. omissam mentio-
 nem generationis Jojakimum & Jojachinum intercedentis. Ve-
 rum, quod ad (1. attinet, res in portu est, quoniam & V. Tum nomi-
 na valde similia interdum planè eadem ratione solet exprimere, sicut,
 qui 1. Chron. 15, 5. Elpalet hebraicè dicitur, atque ita ab Eliphaleto
 v. 7. distinguitur, eidem æquè ac alteri 1. Chr. 3, 6. Eliphaleto
 nomen est. Sic qui 1. Chron. 15, 5. Elisua dicitur, ut ab Elisama
 v. 7. distingvatur, is eodem libro c. 3, 6. nullâ differentiâ Elisama
 æquè ac alter vocatur. Qvalia exempla non sunt rara. Imo in scripto
 Græco 3. Esr. 1, 34. Joachas seu Jochanan quoque vocatur Jechoni-
 as. Quid mirum igitur, si intercedente tam levi differentia non
 significationis, sed duarum literularum, pro Jehojakim, & Jeho-
 jachin quoque adhibeatur idem nomen per rem ipsam, & histori-
 am satis distinctum, ut non unum, sed duos viros significari sta-
 tim pateat? Ad (2. facilis est responsio, quod, cum vocis *Ἰεζακίας*
 repetitio inter cætera quidem membra genealogica sit constans,
 propterea tamen Matthæum nihil presserit, ut in initio etiam teste-
 rade-

radecadū ita faceret, quā in re suā usus est libertate. Sic in primæ tessera-
radecadis principio non facit mentionem, ā quoniam genitus sit A-
braham, facile unoquoque vidente, patre eum destitutum non fuisse:
in secundæ autem initio, cum Davidem repeti opus non esset, li-
berè tamen regiæ forsan dignitatis non adquisitæ tantum, sed & glo-
riose ad posterum transmissæ, itemque Bathsebæ commodius nomi-
nandæ causâ Davidis nomen repetiit, cum solius Σολομῶν(7) men-
tio sufficisset, facile unoquoque intelligente, si ita scriptum esset,
Salomonem ā Davide genitum esse. Quā igitur libertate Davi-
dem repetiit in illâ fronte, eadem libertate in fronte tertiæ non re-
petiit nomen Jechoniæ prioris, unoquoque literarum Hebraica-
rum gnaro satis rectè sensuro, Jechoniam posteriorem non sine pa-
tre fuisse, sed ā Jechonia priore natum esse, maxime cum styli ra-
tio hæc durior fuisset: *Josias genuit Jechoniam & fraires ejus circa*
captivitatem Babylonicam: Jechonias autem genuit Jeshoniam: post ca-
ptivitatem verò Babylonicam Jechonias genuit Salathielem. Unde
patet non liberè tantum, sed & rectè Matthæum id nominis omisis-
se, quod calumniatores ipsius vane putant repetendum fuisse.

§. 2. Alii sentiunt, vitio librariorum patrem Jechoniæ omis-
sum esse, qui putarint ob similitudinem nominum Iojakim, & Ioja-
chin, idem nomen Jechoniæ otiose bis positum fuisse, atque ita al-
terum expunxerint, quam sententiam Hieronymo & Epiphanio de-
beri asserit Chemnitius noster in h. l. Adducit Is præterea Stapulen-
sem, qui annotet vetustissimum quoddam exemplar ita habere: *Josias*
genuit Joachim: Joachim genuit Jechoniam: ac deinde addit: *Et hæc*
vera ratio est. Alias enim una persona deesset sive secunda sive tertia
tesseradecad: apud Mattheum, si rectè renumerensur. Ad similem co-
dicem vetustum provocant Stephani, Robertus, & Henricus filius,
eamque lectionem commendant Pareus, Maldonatus, & è nostris
Prucknerus ad h. l. cui vix dubium est, quin lectio hæc: Ἰωακίμς ὁ
ἐγέννησεν τὸν Ἰακίμ, Ἰακίμ ὁ ἐγέννησεν τὸν Ἰεχονίαν, probatis-
sima sit, & plane genuina. Beza verò codicis sui vetustissimi autori-
tate fretus (cui si fidendū, quia unus ille non invenit similem ob va-
rium ā reliquis Codicibus discessum, solus inde ab Apostolorum ævo
incorruptus manserit oportet) illam lectionem tanti fecit, ut in ver-
sione suâ expresse ita scripserit: *Josias autem genuit Iakim, Iakim*

ANCIEN

autem genuit Jechoniam & fratres ejus in deportatione Babylonica. Superius quoque Epiphanius citavimus, cujus ad fidem alii hæc suppleant teste Spanh. in Dub. ad h. l. *Jechonias vero genuit Jechoniam.* Sed ab hac utraqve sententiâ, & emendatione stare nondum possumus, quoniam antiquissimæ Versiones Syriaca, Arabica, Vulgata, & aliæ constanter ordinariam Græcæ lectionem sequuntur: tum etiam infinita cohors exemplarum MStorum, & Impresorum Græcorum amicissime conspirant. Quod verò allegatur de defectu unius membri, id aliter esse conspicitur illi, qui, ut fas est, Jechoniam patrem intelligit v. 11. in quò recte constituitur secundæ tesseradecadis membrum decimum & quartum: & v. 12. Jechoniam filium, qui primum tertiæ classis est membrum. Quod ad facilitatem errandi contra librarios dicitur, id speciem habebit in eâ lectione, quæ Epiphanium, non in eâ, quæ Stapulensem, Stephanos, Bezam sequitur, quia inter *Iaxdu* & *Iexovia* tanta est differentia, in quâ librarius haud facile erret, maximè in tanta codicum descriptorum copiâ. Sed de Codice Beza antiquo multa sunt, quæ suspicionem movent.

§. 3. Alii Matthæum ipsam rectè putant omisisse Jojakimum, tum propter peccata, tum propter asinum sepulcrum, Jer. 22, 18. quippe qui dignus luctu, & sepulturâ non fuerit, multo minus genealogiâ Christi. In hunc sensum ex Harm. Lighthotii hæc habet Polus: *Rectè ergo sic legitur, prout & Kimchi legit ad 1. Chron. 3, 15. Josias genuit Jechoniam, nepotem sc. ipsius ex matre Joakim.* Ita & Bebelius in Eccl. Evang. & Jud. Artic. VI. sect. 2. §. 16. pag. 403. *Eadem, ait, responsio est, nempe Josiam mediate genuisse Jechoniam.* Verum ne id quidem valere poterit, si observetur, quod hæc ratio aut media, aut tertia tesseradecas necessariò frustratur uno membro, quod Mariæ nomen ex sententiâ Alexandri Thyssii numerandum non corrigit atq; ita v. 17. errore prematur. Accedit, quod peccata ex genealogia non eximant, sic enim pauci genealogiam illâ ingredi debuissent, & quem natura ab illâ genealogiâ non exclusit, quare eum scriptura esset exclusura velut indignum? Sepulturæ autem aut privatio, aut vilitas non excludit, sicut Ussiam non exclusit lepra, nec alios alius infelicitatis lacrymosa eventa. Kimchius vero ad hanc rem plane nihil affert.

§. 4. Præferimus igitur rectè cum Walthero nostro, in Harm.

Harm. Bibl. adh. l. qui alteram de libroriorū corruptione sententiā sibi quondam placuisse candidè faretur, multisq; cum aliis, sententiā hanc, Jechoniam Matthæi priorem esse Jehojakimum, & alterum esse Jehojachinum, ut ita membrum nullum sit omisum, nullū inferendum. Id probat (1. historia de fratribus Jehojakimi, quorum h. l. fit mentio. (2. Matthæi clarus sermo, quod Jofias eum genuerit, cujus verbi prima significatio hic sperni non debet. (3. notabilis confusio membrorum, cum, siquid interponitur, in media 15. in tertia 13. membra sint futura. (4. conservatio quatuordecim membrorum à Matthæo determinantum. (5. constantia antiquissimorum Codicum. (6. remotio omnium, quæ afferuntur, difficultatum. Quæ in sententiā propterea adqueiescimus. Quæritur autem

IV. Quare v. 11. fit mentio τῶν Ἀδελφῶν Ἰεχωνίᾳ; sive
An Fratrum Jechoniæ falso ac temere v. 11. fit mentio, necne?

S. 1.

PRO affirmativa temere quidam contra Matthæum Evangelistam asserunt, notabilem hic esse ejus lapsum, quod Jechoniæ fratres tribuerit, qui tamen fratres non habuerit. Quod ut probent, asserunt (1) quod si Jochin habuisset fratres, sine dubio Nebucadnezar illi suffecturus fuisse et aliquem e fratribus, qui tamen abducto & captivo substituerit Regem patrum Zidekiam 2. Reg. 24, 7. 2. Chron. 36, 10. ubi frater per patrum est explicandus, sicut id demonstrat Jer. 37, 1. (2) quod nullibi, nec 2. Reg. 24. nec 2. Chron. 36. nec 1. Chron. 3, 16. Jechoniæ fratres tribuantur. Verum si graviora non afferunt argumenta, Matthæum sine ratione incusant. Nos quidem ipsis ultrò dabimus, Jechoniam Jehojakimi filium nullos habuisse fratres, & tamen nihil peccatum à Matthæo videmus. Ut verò videant, imbecilla esse, quæ objiciunt, argumentum ipsorum primum à ratione politicâ frustra ductum est: quid enim fortè mirum, si Nebucadnezar Jechoniæ victor patrum potius seniore, quam fratrem paucorum annorum regno voluisset præficere? Non peccasset in jus belli, quod ipsi licentiam longè majorem permittebat; non in salutem publicam, cum à pluribus annis plus experientie & providentiæ & constantie sperari posset. Sed præter hæc alii de alio Zidekia ipsius fratre ista intelligunt, ut Piscator apud Polum è 1. Chron. 3, 16. quæ de re sta im. Altera, quam asserunt ratio, petita à silentio scripturæ, in utramque partem nullius est pretii.

D

S. 2.

§. 2. Alii negativam tuentur, scilicet nec falso, nec sine ratione Matthæum mentionem fecisse fratrum Iechoniæ. Sed veritatem ostendunt haud feliciter, quibus iste Iechonias est Iojachin, et si falsitatem removere (I) studeant ex eo ipso loco, qui contra illos affertur 1. Chron. 3, 16. Polus in Synopf. Critic. è Gomaro & Piscatore eum in finem hæc profert: *quoniam contrarium inde deduci potest: verba enim sic reddenda sunt: Filius vero Iehojakimi; Iechonia filius ejus (subint. &) Tsidkia filius ejus; Nam si Iehojakim habuit filios: ergo Iechonia filius ejus habuit fratres, aut saltem fratrem Tsidkiam & posteros ejus, qui fratres vocantur more Hebræorum Gen. 13, 8. Collat. cum Gen. 11, 31.* Alii vero (II) hæc dicta putant de Iojachini agnatis, sive patruis, Joachaso, Sedecia, Sallumo, 1. Chr. 3, 15. uti & Sedecias frater Iechoniæ vocatur 2. Chron. 36, 16. (quem in finem apud Polum allegatos video Piscatorem ex Junio, similiter Brugensem & Maldonatum, itemque Junium Paral. 2.) sive nepotibus è fratre. Verum haud placent illæ sententiæ de Iehojachino, ad quarum (I.) resp. non esse probatum, quod Iehojakim filios habuerit: namque in Genealogiis V. T. tantum esse, ut viri aliquid filio uni vel unigenito nihilominus præponatur ista vocula כּוּנִי uti patet Gen. 46, 23. Num. 27, 42. 1. Chron. 2, 7. 8. 31. c. 4, 15. c. 8, 3. 12. &c. idque quia sub eo uno filio simul continetur spes posterorum: qualem in uno illo Iehojakimi filio Iechonia etiã exitus probavit. Ita & subintellectio copulæ inter Iechoniam & Tsidkiam caret fundamento, quoniam in Genealogiis vox כּוּנִי regulariter filium ejus dicit, qui proxime præcedit, unde sicut Iechonias Iehojakimi, ita Zidekia Iechoniæ filius est habendus non obstante voce עַרְיָרָי quæ Jer. 22, 30. legitur, è quâ Lightfoot. H. H. in Matth. h. l. concludit, Iechoniam reverã fuisse ἀτενον, quod quidem adeo falsum est, ut Zidekias junior ei regnanti potius fuerit natus 1. Chron. 3, 16. uti captivo alii sunt nati v. 17. 18. unde Jer. 22, 28. ipsi prænunciatio est, quod abjici debeat aliud ipse & semen ipsius. Cum igitur hinc pateat Iehojachinum Regem ante captivitatem non fuisse ἀτενον, Zidekias l. c. non pro fratre, sed pro filio est habendus. Ad II. resp. planè incongruè fratres accipi de patruis: quid enim magis est absolum, quam talis genealogia: Iolias gignit Iechoniam nepotem, & illius fratres, id est suos filios, illius patruos: quam vanè avo τὸ ἔγγονον

1708

1707 hic tribuitur in continuâ genealogiâ? Omnia nimis dura & minus commoda. Sin de nepotibus ex fratre intellectum velis, nullus nec frater, nec nepos ex fratre ostendi possunt.

§. 3. Quoniam igitur nulli fratres Iehojachini queunt produci, non leve illud argumentum est, alium Iechoniam quærendum esse: itaque omninò fas est, ut Iehojakimi, seu Iechoniæ Primæ significatos esse fratres, agnoscat. Sicut enim ipsa veritas docet (1) Iosiam immediatâ generatione genuisse Iojakimum, ita & (2) verum est Iehojakimum habuisse fratres Iochananem, seu Iochasum, Zidekiam & Sallumum, ac (3) hac ratione omnia sunt clara, cum fratrum mentio Iechoniam a Iechonia distingvat (4) salvus manet naturæ & genealogicorum membrorum ordo: & (5) in Matthæi illa serie planè nihil desiderari amplius potest. Atque ita probatum est, Iechoniæ fratrum mentionem falsò non esse factam: ostendemus nunc etiam, mentionem eorum in hac genealogia non esse temere, aut sine gravi ratione factam.

§. 4. Solent autem rationes, quare eorum fiat mentio, sequentes allegari: (1) ut sic Pater a filio distingvatur: (2) ut obferretur, omnes ferme illos regnum Christi tenuisse: (3) ut sentiantur, omnes unius pii patris Josiæ filios fuisse impios, communiqve culpa nobiles: (4) ut populi Iudaici mutationes his viventibus pedetentim obortæ tantò curatius ponderentur: (5) ut illorum omnium funesta & feralis calamitas cum regni exitio ac fine conjuncta ante legentium oculos versetur.

§. 5. In quibus rationibus aliæ aliis præstant. Id verò monendum, Matthæum hæc vere consignavisse, ut ostenderet, iusto ordine jus regni Israelitici ad Iosephum descendisse, (unde & v. 20. inducit Angelum, qui eum vocat filium David, i. e. hæredem regni) atq; ita Iosepho curam terrenam, Christo vero Israelis Regi necessariam, a Deo sapientissime demandatam esse. Jam vero stirpè hujus Iosephi dum describit, memorabilis in ea se offert circa regnum Israeliticum triplex dispositio, calculus ab Abrahamo dum ducitur per tesseradecadas. Ibi enim in ipso sine tesseradecadis prima familia Iosephi gloriosissime acq; virit regnum, antea non possessum, in persona Davidis, qui erat decimus & quartus: in sine vero secunda tesseradecados familia Iosephi ignominiosissime amittit regnum e-

De
usqve

usque possessum, non in sola persona Iehojakimi, sed & fratrum in persona, quippe quorum unus ante illum, & alius post illum, Iochas nimirum & Zidekias, regnum misere ceperunt, miserius amiserunt, alter in Egyptum, alter in Babyloniam abductus. Hæc igitur fratrum inducendorum vera causa fuit, ut tanto scilicet calamitosior repræsentaretur jactura regni, si observaretur adeo regnum in familia Iosephi defloruisse, ut Iosias filii, quotquot falces ceperint, miserimè iis sint exuti adeò ut ex omni posteritate nihil regis, parùm quoque illustrioris dignitatis post ultimum fratrem Zidekiam & regni finem effulserit, donec supra spem, in *tertia tessera decados sine* venire Christus, qui regnum in familia Iosephi a Davide stabilitum, sed a Iehojakimo & fratribus perditum gloriosissime tandem restauraret & via meliore vindicaret. Illud tamen notabile est, quod unamquamque tessera decada Rex stante regno mortuus claudat, primam David Rex gloriosissimus, alteram Iehojakim Rex, æque ac fratres, miserimus, ac tertiam Iesus Christus miserimus idem & gloriosissimus, servorum servus & Rex Regum, inque ipsa crucis epigraphæ Rex Judæorum agnitus. Fratrum igitur mentio fit ad designandam absolutissimam Regni Iudaici in Iehojakimo ejusque non tam filiali, quam fraterno sanguine ruinam, unde nullum in ejus familia regnum terrenum amplius fuerit expectandum. Tandem hæc querimus:

V. Quare fit mentio τῆς Μετακείσεως βαβυλῶν, sive,
An Matthæus sapienter hæc verba apposuit, nec ne?

§. 1.

Negativam sine blasphemia nemo potest suscipere; nota tamen circa S. Evangelistæ verba quædam sunt dubia: quæ ob rem verba versus II. plenè exscribenda arbitrator. *Ἰωσιὰς δὲ ἐγέννησεν τὸν Ἰεχοκίαν καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ Ἰππὶ τῆς μετακείσεως βαβυλῶν.* Qui Matthæum accuant, illi vocem Ἰππὶ in dubium vocant, quasi ea nec combinari possit cum voce ἐγέννησεν, quia Iosias non genuerit in captivitate, quippe ante quam diu sit mortuus; nec cum voce ἀδελφὰς, quippe cum omnes Iojakimi fratres non fuerint in illa captivitate.

§. 2. Sed quid quid homines isti delirent, nobis tamen Matthæum ita sapientissime scripsisse persuadeamus. Observamus enim (1) decore positam in fine *παρελάθει καθ* secundæ vocem nota-

Notabilem τῆς μετακείσεως Βαβυλωνίων, sicut primam clauserat
notabilis vox βασιλείας, & tertiam summè notabilis dictio ἡ μετα-
κείσεως χρείσθαι claudit, ut ita rerum mutatio tanto rectius æstimaretur à
peregrinatione Abrahami ad honores Davidis regis; ab honoribus
regis ad peregrinationem ultimorum regum in exilium; à peregrina-
tione istà ad verum patriæ Patrem Christum, itemque à vitâ com-
muni ad splendidissimam, à splendidissimâ ad miserabilem, à misera-
bili ad planè divinam.

§. 3. Observamus (2.) μετακείσεως à B. Evangelista dictata
esse valdè prudenter, adhibito vocabulo μετακείσεως & generaliore. Με-
τακείσεως enim (sicut μετακίσειν Act. 7, 4. significat transfero ad in-
habitationè alius sedis in aliam terram) significatur transmigratio ad
inhabitationè alius terræ ac domus, sive illa sit spontanea, sive mixta,
sive planè violenta. Contigerunt autem tum temporis variæ in Baby-
loniam transmigrationses. Prima omnium levilima contigit anno
Jojakimi tertio & quarto 2. Reg. 24, 1. Dan. 1, 1. sqq. in quâ trans-
portati sunt inter alios Daniel & Sodales v. 6. Altera parca quidè, sed
cum exitio Jojakimi conjuncta 2. Chron 36, 6. 7. Jer. 22, 18-22. Ter-
tia frequentior, in quâ Jechonias est transportatus. 2. Reg. 24, 10-
16. 2. Chron. 36, 10. Jer. 22, 24-28 c. 52, 28. Ez. 1, 1. 2. Quartam
ximè horrenda 2. Reg. 25, 1-21. 2. Chr. 36, 17-20. Jer. 37, 1-9. c.
52, 27. 29. cum regni fine connexa, ac quinta tandem extrema &
vel tenuissimas reliquias transmittens 2. Reg. 25, 22. sqq. coll. Jer.
52, 30.

§. 4. Observamus (3) vocem quoque βαβυλωνίων, ad-
ditam esse ad designandum tremendum illud regni excidium
per vires Babylonicas factum. Nam transportatio Assyria-
ca uti Judæos minus ferierat, ita fere in oblivionem venerat
& quæ propemodum cum Babylonicâ contigerunt, aliæ duæ trans-
migrationses in Ægyptum, altera violenta, 2. Reg 23, 34. 2. Chron 36,
4. Jer. 22, 10-12, altera spontanea Jer. c. 43, 1-7. ad Babylonicam
collata erant leviore.

§. 5. Observamus (4) vocem ὅτι notare non semper in,
ut dicatur aliquid esse in loco vel in tali statu, sed etiam versus vel ad.
Act. 25, 6. Joh. 21, 11. ut sensus esse possit: Josias genuit Jechoniam & fra-
tres ejus: sed quorsum? pro dolor, ad transmigracionem, vel versu

